



**Clypevs Theologiæ Thomisticæ**

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac  
de ejus voluntate, & Providentia

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Parisiis, 1669**

§. II. Ostenditur Deum non videri à beatis, mediante aliquâ specie  
impressâ creatâ,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](#)

## DISPUTATIO SECUNDA

- li, concedo : sub modo essendi intelligibili, & intentionalis, nego. Et concessa Minoris, distinguo Consequens distinctione Majoris. Ergo species albedinis non est eiusdem quidditatis cum illa ; in esse naturali, concedo : in esse intelligibili & intentionalis, nego.
8. Dices secundum : Species mensuratur ab objecto, & dicit relationem realem ad illud. Sed mensuratum distinguitur realiter à mensura, & terminus à relatione : Ergo species realiter distinguitur à natura, & quidditas objecti quod representat, ac proinde falsum est, quod species sit natura, & quidditas objecti representat.
- Confirmatur : D. Thomas infra quæst. 42. art. 1. ad 4. negat relationem realem à qualitatibus inter divinas personas, qui essentia qua fundatum est à qualitatibus una & eadem est in tribus personis : Ergo similiter, si eadem natura & quidditas sit in specie, & in objecto quod representat, illa non poterit dicere relationem similitudinis ad objectum.
9. Ratione hujus argumenti, quidam existimant quod relatio similitudinis, quæ species ad objectum referunt, non est realis, sed rationis, sicut relatio à qualitatibus, qua est inter personas divinas. Sed melius responderetur, quod ut species mensuretur ab objecto, & dicat ad illud relationem realem similitudinis, non requirit quod ab illo distinguitur realiter in natura & quidditate ; sed solum in modo habendi naturam in esse intentionalis, qui distinguitur à modo naturali, sub quo in ipso objecto invenitur : non enim fundat relationem illam, natura ut praescindit ab illis modis essendi, sed prout illis affecta, & modificata. Ex quo patet responsio ad confirmationem, concessio enim Antecedente, neganda est Consequentia, & paritas. Ratio discriminis est, quia essentia, quæ est fundamentum à qualitatibus divinarum personarum, non habet in illis diversum modum essendi ; sicut habet natura & quidditas, prout continetur in specie, & prout est in objecto, per illam representato.
10. Ex his intelliges dictum Aristotelis 3. de anima textu 37. dicentis *animam esse quodammodo omnia* : quia scilicet ratione specierum intelligentium, in se continent naturas & quidditatem omnium rerum, non in esse naturali, sed intelligibili, & intentionalis. Cui etiam concordat celebre illud dictum Commentatoris, dicentis, *ex intellectu, & re intellectu fieri magis unum, quam ex materia & forma*. Materia enim non transit in formam, nec è contra forma in materiam, sed ex unione utriusque resultat tertium compositum : at verò ex specie in esse representativa considerata, & ex intellectu, non resultat unum tertium, sed potius intellectus transit in rem intellectam, mediè specie intelligibili. Unde Aristoteles 3. de anima laudavit Anaxagoram, eo quod dixerit intellectum nostrum esse immixtum omni esse specifico, ad differentiam puræ potentiae in ordine naturali, quæ ratione sua limitationis, est quidem nata recipere omnem actum sui generis, non tamen alicui per identitatem admiscetur.
- Addo quod, cùm ex una parte gradus cognoscendi, utpote immaterialior, superet gradum essendi entitativum, seu naturalem ; & rursus ex alia parte, cognitione per se postulet unionem cum objecto ; negari non potest, talem unionem debere esse multò perfectiore, eā quæ reperitur in ordine entitativo & naturali, inter materiam
- A & formam, subjectum & accidentia. *Et aliter sentientes* ( inquit Caietanus ) *nimirū videntur faciunt naturam cognoscitram: quandoquidem de ea, non aliter quā de rebus naturalibus indicant.*
- §. II.
- Ostenditur Deum non videri à beatis, mediante aliquā specie impressā creatā.*
- D Ico primo : In visione beata, nullam intervenire speciem impressam creatam. Ita communiter docent Theologi ( excepto Aegidio à Præsentatione ) cùm D. Thoma hic art. 2. & 3. parte quæst. 9. art. 3. ad 3. ubi sic habet : *Cognitionis beata non sit per speciem qua sit similitudo divinae essentiae, vel eorum qua in divina essentia cognoscuntur, sed talis cognitionis est ipsius divinae essentiae immediata, per hoc quod ipsa essentia à na unitur menti beate, sicut intelligibile intelligenti. Idem docet 3. contr. Gent. cap. 51. & in 4. distinct. 49. quæst. 2. art. 1. ad 15. cuius verba infra referemus.* Denique hanc doctrinam ( ut dicit Aegidius Romanus, in suo defensorio art. 1. ) habuit S. Doctor divinitus inspiratam, & cœlesti revelatione confirmatam. Cùm enim decessisset Frater Romanus Inquisitor Neapolitanus, qui eis fuerat discipulus, eique post mortem apparueret, ab ipso D. Thoma interrogatus, quomodo in Patria videretur Deus ? Respondit his verbis P̄falmista : *Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum.* Per hoc declarans, Deum eo modo videri à beatis in Patria, quo ab ipso D. Thoma audierat, dum eis esset discipulus in via.
- Eadem veritas hac ratione suadetur. Species impressa in visione beatifica superflua est : Ergo non datur. Consequentia patet, Antecedens probatur. Species impressa necessaria est ad supplendum defectum objecti, quod secundum se non potest concurrere cum potentia ad intellectualem sui, vel quia non existit, vel quia remotum est, aut secundum se non est intelligibile, properter suam materialitatem. Atqui nullum horum habet locum in proposito ; nam Deus est existens necessario, intimè præsens intellectui beatitudini, & summe immaterialis, ac proinde perfectissimo modo intelligibilis : Ergo species impressa in visione beatifica superflua est.
- Confirmatur : Ob eandem rationem superflua est Angelo species accidentalis ad sui cognitionem, nam substantia ipsius, ex communisentia, quia est intimè præsens, & immaterialis, suppler vices speciei ; & idem dicunt quidam recentiores de lumine respectu oculi, & de qualitatibus sensibilibus respectu tactus, nempe quod seip sis, sine specie moveant ad sensationem, quia habent sufficientem præsentiam, & unionem, ac proportionem cum potentia. Addo quod, essentia divina potest seip s̄ præstare ( seclusis imperfectionibus informationis & inherientia ) id totum quod facit species impressa creata, ut infra ostendemus : Ergo illa est superflua.
- Probatur secundum conclusio : Si daretur in visione beatifica aliqua species impressa creati, vel illa produceretur necessario à Deo, vel liberè ? Neutrū dici potest : Ergo non datur. Minor quantum ad primam partem est certa, nullus enim datur effectus ad extra, qui necessario à Deo procedat. Probatur verò secunda pars : Illa species emanaret à Deo secundum